



2. D. B. V.
DISSERTATIONEM INAUGURALEM

DE
VERTIGINE,

Ex Authoritate & Consensu

*Gratiosissimi Ordinis Medicorum
WITENBERGENSIIS*

&

MODERANTE

*VIRO Nobilissimo, Amplissimo, Excellentissimo
ac Experiensissimo*

DN. CHRISTIANO VATERO

Philosophiae & Medicinæ Doctore, ejusdemque Prof. Publ.
longe celeberrimo, Facultatis suæ h. t. DECANO specta-
tissimo & Physico Provinciali meritissimo,

*Domino Patrono & Preceptore suo
summe observando*

PRO LICENTIA

Summos in Arte Medica Honores & Privilegia Doctoralia
rite capessendi,

Ad D. XXII. Novembr. ANNO M DCXCVIII.

Horis ante & post meridiem svties.

publico Eruditorum Examini exponet

MARTINUS FRANCISCI,

Muscaviâ- Lusatius.

WITENBERGÆ, Typis C. FINCELII.

I. N. I.



vemadmodum tot phænomenis, quæ natura
ubivis pandit, convicti
sumus, Spiritum quen-
dam materialē, seu au-
ram subtilissimā & pu-
risimā corporibus no-
stris, eorundemq; succis
omnibus intime perfu-
sam, omniumq; motionum vitalium ac animali-
um in iis auctorem existere; ita quoq; eandem
miris plane modis in motibus istis turbari depre-
hendimus, ut singulorum lineas, angulos, circu-
los & eccentricitates vix comprehendere, ne di-
cam ad artis normas redigere liceat. Cum tamen
tot tamq; gravissimi morbi & Symptomata exin-
de origines suas suvant, ex eorum numero in Ver-
tiginis solum natalia curatius jam inquirere, eaq;
Speciminis inauguralis loco, Eruditorum examini
exponere mecum constitui. Faxit Supremum
Numen, ut cedat Feliciter!

A 2

THES. I.

Vertigi-
nis notio.

THES. I.

Quod nullus tam absurdus, tamq; insolitus motus sit, qui in solidorum fluidorumq; corporis nostri texturis non eveniat, testis quoq; Vertigo est, ab aquarū forte, vel rotarū vortice derivata & denominata affectio, qua ægri affecti non solum se ipsos, omniaq; vicinari & circumgyrari sibi videntur, sed etiam tenebrarum simul pavore correpti, stando sedendoq; vacillant, aut plane corruunt. Habet quidem, ut reliquæ omnes affectiones suos qq; gradus, quando, malo adhuc inter principia latente, ægri tantummodo per vices breviores corporaliaq; leviter circumgyrari sentiunt, subito tamen gyro isto liberantur, saltem quod subinde de Cardialgia, nausea, hypochondriorum tensione, capitis gravitate, aliisq;, pro diversâ causarum morbificantium complicatione, Symptomatis conquerantur; sed ingraevcente eo tremulis vix pedibus nituntur, aut prorsus labescunt, nisi cito fulcimentis juventur, imò oculi præterea velut affusa caligine, aut solū coloribus variis obscurantur, quoq; tandem, totali Scotomia insequente, velut fulmine percussi, prorsus corruunt; Ut adeo Affectus iste non immerito in compendio dici possit: *Prava imaginatio apparentis circumrotationis capitis & objectorum, cum Subita caligine & obscuratione oculorum, tremore, titubatione, vel lapsu totius corporis alisq; gravioribus Symptomatis ab inordinato spirituum in cerebro motu oriunda.*

THES. II.

Attendant huc, qui Sensus tam internos quam externos, objectis licet & mediis rite constitutis, maxime falli & fallere posse dubitant: Fallitur hic certe non solum visus, quando apertis oculis ægri, secus ac revera est, omnia circumgyrari vident, sed etiam Sensus interni, communis &

Ratio
formalis.

nis & phantasia, dum clausis quoq; oculis, imò cæcis iudicem motus in meditullio cerebri apparent. Sensatio enim omnis, uti revera nihil aliud est, quam motio Spiritus, vel auræ animalis intra organa sensoria ab objectis corporeis allabentibus inducta, ad cerebrum usq; continuata, & ab anima, seu mente ibidem percepta: Ita quoq; omnia objecta, media, & organa rite constituta requirit; E quibus si vel unicum unius tantum sensationis defecerit, aut minus recte se habuerit, non potest, quin in errores ducantur reliquæ, & in rerum affectionibus demonstrandis nobis toties imponant, sive ratione objecti, sive ratione medii, vel etiam organi tot aberrationes in sensibus contingant. Sic ipsa in vertigine, phantasia, apprehensio & judicium primum mentis nostræ, solius organi vitio, circa motiones in cerebro factas, aberrat, quando objectis falso tribuit, quæ tamen sensorio potius insunt; non aliter, ac si lingua, vel narces alieno humore imbuti, objecta innoxia tali vitio inquinata jugicant.

THES. III.

Neque propterea opus est, ut ratio ipsa tum statim fallatur. Licet enim varii in sensoriis motus excitati menti offerantur, & ab ea quoq; percipiuntur, tamen si cum aliis circumstantiis ad judicii normam ulterius collata & examina talia non inveniuntur, subito quoq; amante rejiciuntur, & refutantur; quemadmodum de Philosopho quodam refert Riverius, qui à rabido cane demorsus, balneum ingressurus, sentiebat quidem jam tum phantasiæ errorem, eum tamencito redarguens, pronunciabat, quid cani cum balneo? indeq; in aquam se conjiciens ab hydrophobiæ periculo liberabatur. Pariter in vertiginosis, ut talibus, ratio adhuc firmiter sibi constare de-

deprehenditur; Sciunt enim & confitentur ,impossibilem prorsus & falsam esse rerum istarum circumgyrationem; secus ac in deliriis, ubi non solum prava phantasmata , à consuetudine & ratione aliena , offeruntur, sed à mente, quoq; admittuntur, inepte conjuguntur , indeq; absurdis sermonibus & actionibus exprimuntur.

Thef. IV.

Sedes autem mali hujus nulla quoq; alia, quam quæ ipsorum Sensuum hic singenda erit. Quemadmodum enim sensus communis, phantasia & memoria uno eodemq; loco in cerebro peraguntur ; ita etiam eorundem aberrationes & lasciones ibidem semper fieri necesse est. Neq; cum Veteribus amplius disputandum esse reor, utrum in anteriori, vel posteriori, vel media cerebri parte, aut potius in ventriculis ejus vertiginosus iste motus, ejusdemq; apprehensio & judicatio contingat; Siquidem firmioribus jam fundamentis & demonstracionibus ratum confirmatumq; habemus, Sensationes intrinsecus nullis prorsus Sedibus, neq; in se distingui, sed unum eundemq; , à quocunq; objecto sensorio Spiritibus inductum motum, per nervos ad eorum principium propagatum, & a mente perceptum, sensum communem; ulterius continuatum & examinatum, Phantasiam; repetitum deniq; post aliquam cessationem, Memoriam, constituere. Quibus Suppositis ultro quoq; patet, pravam imaginationē circumrotationis rerum in vertigine non nisi in ipso nervorum principio, centro nimirum cerebri fieri & reperi possit. Ibidem enim spiritum motus omnes terminantur, ibidem quoq; anima non solum atten- & cogitat, in quo ratio & Fundamentum sensationis omnis internæ, sive naturalis, sive præternaturalis consistit.

Thef. V.

Thef. V.

Communiter quidem in anteriore solum cerebri parte, & in specie in oculis, eorumq; nervis opticis malum potius hærere creditur ; Neq; præter omniem rotationem ; visu siquidem maxime se manifestare solet, & motus ejusmodi Spirituum vorticosis nullibi commodius, quam in oculorum orbitis excitari, depingi & deprehendi posse videtur : Quibus præterea accedit, quod Affectus sæpius ex intuitu rerum exalto , vel earum, quæ ingyrum moventur, maximè excitetur, & clausis tum oculis statim quoq; supprimatur. Verum enim verò, et si quidem per oculos, vel visionem etiam pravū spiritibus motum imprimi , ipsiusq; vertiginis occasionem dari posse non inficiemur ; quemadmodum etiam Spiritus è contrario in cerebro prius turbati, eodem modo ad oculos & alia sensoria influunt, eaq; simili clade afficiunt, propterea tamen nondum sequitur, motum revera vertiginosum & gyrosum Spirituum in oculis fieri, & si fieret, per angustissimos nervi optici porulos tubulosve eodem modo defiri, aut repræsentari posse. Visio sanè etq; ac alias sensations extrinsecæ non in oculo, sed meditullio demum cerebri absolvitur, quando radii lucidi à corporibus visibilibus reflexi, & intra oculi tubum admissi, a tunica retina inferius expansa quidem colliguntur & sustentur, indeq; tamen non imagines ipsæ in oculo depictæ (id n. intenebris nervi optici tubulis impossibile erat) sed solum idem motus, ab imaginibus istis inductus, ad cerebrum usq; propagatur, quemadmodum etiam in auditu non ipse sonus in cavernulis aurium excitatus & repetitus, sed motus tantum tremulus defertur. De cætero Vertiginem non solum & semper à causis externis, & quæ oculis mediantibus talem spiritibus motum imprimere pos-

*Causa
proxima.*

possunt, sed plerumq; ab internis humorum vitiis, clausis licet oculis, oriri, mox è causarum serie mani feste constabit, easq; ob causas nec cæcos, omni oculorum lumine & usu privatos, à vertigine immunes esse, exempla plura, qualia ap. Platerum Prax. Tom. i. c. 7. Ephemerid. German. T. i. obs. 121. & Decur. 2. A. i. obs. 71. annotata legere licet, confirmant.

THES. VI.

Ideoque motum Spirituum animalium solum turbatum, confusum, fluctuantem & titubantem, vel etiam à directo suo tramite deflectentem Vertigini proximè inducendæ sufficere judicamus, quatenq; eo ipso fibrillæ, seu trahiteseorum tenerrimæ simul præter naturam succutiuntur, indeq; uti in deliriis fieri afolet, mentis judicium pervertitur, ut ex præconcepto statim metu, metus cadendi invadat, motusq; vertiginosus potius fingatur, quam revera sit. Omnes siqvildē motus Spirituum in nervis per naturam ad lineam rectâ fieri decet, à qua verò si deflectunt, & ob varia impedimenta motum istum assequi nequeunt, nervorum tubulos influendo, necessario reflectuntur, ut lineam ellipticâ sequantur, & quasi in orbem agantur, ex qvo sedueta anima etiam objecta externa extra se posita revera in orbem agi per imprudentiam putet; Vel ut clarius loquar, sive stringantur fibræ nerveæ in ventriculo, intestinis, utero, pede, sive in oculis, aut interioribus cerebri solum; aut Spirituum legitima Secretio & motio aliunde impediatur, mens ex turbulentâ agitatione de totius circumgyratione perperam judicat, licet neq; objecta, neq; Spiritus ipsi revera in cerebro gyrentur: Quemadmodum etiam ex iteratis per dolorem motionibus, mens saepè perverse judicare solet de dolore membra jam dudum rescissi & sublati.

THES. VII.

Atq; hinc etiam fit, quod tot & tam variæ causæ pathe-

ma istud, etiam in instanti, producere & causare aptæ reperiuntur, quæcunque modo auræ animalis motum ejusmodi turbulentum & titubantem quocunque modo inducere sufficiunt, sive internæ fuerint, sive externæ, Imprimis vero & frequentius penes ipsius cerebri, ejusdemque pororum & fibrarum augustiam distorsionem, vel flaccitatem, culpa hæret, quando nimisrum Spiritus animalis in poros, vel tubulos ejusmodi angustatos, distortos, vel obstructos incidit, non potest, quin in motu suo rectilineo impeditus ad latera deflectatur, & in circulum quasi vertatur: Ea quippe perpetua naturæ lex est, ut corpora quæcunque in motu constituta se mutuo quoque disponant in eo situ, in quo sibi minime sint impedimento; Et omnium minime à recta linea circularem distare ex Euclide Elem. l. 3. innotescit. Quicquid igitur pertinacius movetur, si terminos spaci breviores offenderit, in motus principium recurrere cogitur, & exinde circulus fit: In circulum verò acti Spiritus, menti quoq; speciem circuli exhibent.

THES. VIII.

Sed præter & citra cerebri laesam texturam, etiam sola succi Spirituosi & nervosi discrasia huic malo sufficit, quando vel prætermorem crassus, viscidus, eadem pororum & tubolorum obstructionem inducit, vel ad minimum auget; aut acrimonia acidâ, aliisque vitiis qualitatibus imbutus, & cum hæterogeneis partibus tumultuarie concurrens, fibras cerebri nerveas inclemensius irritat, stringit, motumq; adeo anomalum in Spiritibus concitat, uti sit in scorbuticis, qui propterea malo hoc tam frequenter præ aliis tentantur. Imo quoque solus Spirituum defectus, inertia & languor, à quacunque

B

*Vitia Spi-
ritus ipse
animalis.*

causa

*Causarum
motiores
Internae.*
*Scorbuti.
ca cache-
xia.*

causa dependens huc facit, quandoquidem hi debito
tum conatu & elatere destituti, sufficienter se expandere, & transitum per ejusmodi minutissimos tubulos
urgere nequeunt, sed fluctuantes quasi, & titubantes huc
illucve declinant. Ex quo etiam fit, quod Senes potissimum familiare hoc malum querantur, concurrentibus
principiis aliis causis, viscerum nempe debilitate, obstruc-
tione, Scorbuto & similibus.

THES. IX.

Quibus jam suppositis & expeditis, eò facilius
tot causarum remotiorum huc conspirantium ratio
reddi poterit. De Vertigine sane nimis frequenter, uti
dixi, conqueruntur Scorbustici, hypochondriaci, & mu-
llieres hystericae, eo quod succi in his crassiores, acres ad
cerebrum delati, non solum obstructiones ibidem pa-
riant, sed etiam inter se luctantes, fibras nerveas irritent,
quæ irritatae se stringunt, torquent, eoque ipso motibus
ejusmodi tumultuariis ansam toties præbent.

THES. X.

*Ventri-
culi lesiō.*

Imprimis vero perturbatio & confusio ista
non raro è ventriculo oriri deprehenditur, non quod va-
pores ex eo immediate, & vaporum instar, versus cere-
brum exhalent, uti quidem Veteribus visunt; sed quod
succi crudi, viscidii & acres, ibidem generati, una cum
circulo humorum, è quibus alias nervorum succus Spi-
rituosus & elasticus generari, & continuo instaurari de-
bebat, in cerebrum delati easdem obstructiones, irritatio-
nes aliaq; incommoda pariant: Imo solam nervorum &
Spirituum in ipsis visceribus, imprimis ventriculo, ner-
vis copiosis & insignioribus instructo, irritationem suffi-
cere judico, quando motus eo ipso præternaturalis & in-
ordinatus

ordinatus ad cerebrum usq; propagatur: Si enim Spir-
itus animalis in & cum succo nerveo à cerebro versus om-
nes corporis partes non solum continuo & contiguo tra-
mite influit, & movetur, sed etiam eodem continuitatis
beneficio, omnes impressiones & motiones, in extremita-
tibus receptas, ad cerebrum vicissim remittit, fieri non
potest quin etiam motus ejusdem in visceribus turbatus
eodem modo, & in instanti, ad cerebrum propageatur,

THES. XI.

Eadem ratio est, quando ex uteri, lienis aliorum-
que viscerum vitiis malum oriri deprehenditur, qua-
tenus non solum per circulum sanguinis, sed etiam ner-
vorum & Spirituum commercium eodem modo intime
communicant. Sic vermes intestinorum sicut epilepsiae,
convulsionum, dolorum capitis, aliorumq; pathematum
autores, ita in specie malo vertiginoso saepius ansam-
dant, procul dubio, quando non solum cacochymiam
sanguini & humoribus conciliant, sed rodendo imprimis
& pungendo nervosum in intestinis genus, motum ta-
lem per nervos in cerebrum usq; mittunt: Imo verò ex
quocunq; dolore graviori, etiam calculi renum & vesicæ
interdum æ gri vertigine corripiuntur, quando spasticis
ejusmodi vibrationibus tactæ fibræ Spiritibus motum li-
beriore non permittunt, sed potius regredi necessitant,
ut lente tantum, & quasi per gyros refluxum instituere
cogantur. Eadem Spirituum sufflaminationi & denega-
to motui, non verò flatibus, vel vaporibus tribuendum
esse judico, quando è partibus remotioribus quidam æ-
gri vertigines suas oriri sentiunt, cujusmodi exempla ha-
bent Sennert. in Pr. Bartholinus Cent. V. Hist. LXXXV. & alii.

*Uteri, Li-
enis alio-
rumq;
Viscerum.*

THES. XII.

Cause Externa. Nun neverò præter interna & Domestica mala, etiam externa concurrunt, & suum *ētīθdāv uēq̄* addunt. Imprimis motus corporis insueti & circulares; Quidam enim vertigine tentantur, quoties curru vel navi, aliis sive trorsum vehuntur. Imo petulantes pueri affectum, quando cunq; placet, pessimo quidem instituto, sibi conciliare possunt. Ex quo apparet ejusmodi Symptoma esse, quod etiam ab arbitrio hominis pendet, quoad concitandum & finiendum: Eaque occasione non alienum erit, eruditissimi Ballonii in hoc negotio cupiditatem sciendi hic afferre, utpote qui *Commentario in Theophrastum l. d. Vertigine* hæc adeo miratur, inquiens, *Divina Sapientia vis & abyssus in explicabilis: Cum homo sit calestis, caput sphæricam habens figuram, magna pars membrorum rotunditatis venustate gloriari possit; Cur motus sphæricus homini noceat?* Ex variis differentiis motus sphæricus, qui cateris præcellit, & qui corporibus calestibus est proprius, solus homini non convenit, sed vertiginis auctor est: *Que hac fatalis conditio?* motus directi sunt innoxii, sphæricus nocentissimus: Circularis rotatio & circumactio præcipui lapsus autores, sinistri & ominis signiorum morborum prænunci. Orbicularis & circularis motus in meandris sanguinis natura arridet, & reddit negotiissimum, officiosissimumque reciprocans, sanguini suam largitur perfectionem, in cordis sinibus spiritibus largitur nitorem, in cerebri vero canalibus ab eo separit turbari. Quousque Ballonius. Verum enim verò quid mirari opus est: Sufficit, quod motu tali insueto corporis totius facto, aura animalis tubilis inclusa, huc illuc q; fluctuans, trahentes suos directos invenire nequeat, indeq; retrogrado

potius

potius, vel ad minimum turbulentio motu in circulum quasi redeat, quam etiam in rem jam tum *Macrobius l. 7. Saturn*: *Scite septem inquit corporei motus sunt; aut enim accedit prorsum, aut retrorsum recedit; aut in dextrum laevumque divertitur: Sursum promovet, aut deorsum aut orbiculatim rotatur. Terrenis animalibus illi Sex præcipue familiares sunt, sed nonnunquam accedit Septimus, quitamen noxious, gyros efficit, crebro conversu turbat, & humoribus capitis involvit Spiramentum, quod anima in cerebro, quasi omnes sensus corporis gubernanti, ministrat.*

THS. XIII.

Aspectus rerum rotantium. Imo magis mirum erat, quod solus aspectus rerum rotantium vertiginem in dispositis creare soleat; quemadmodum etiam iis, qui ex alto cum terrore prospiciunt, contingere solet. Ast vero in propatulo est, ab ejusmodi objectis, insueto motu actis, aut terribilibus, etiam organum visus, & consequenter Spiritum in eo excubantem eodem modo turbari. Non enim contingit omnibus, sed iis tantum, qui motibus istis minus aspetti, aut qui ex iis terrentur, adeo, ut anima eorum imminens sibi periculum & lapsum metuat, ac proinde corpus suum mutari, nunc sursum, nunc deorsum, vel in orbem agi cogitet; quæ cum per imprudentiam sibi imaginetur anima, ac si præsentia essent, spiritus quoque eundem in modum, & non nisi tumultuarie moveat, necesse est; quo etiam fit, quod spiritus animales non sufficienter, ad manuum pedumque musculos determinentur, indeque ruere corpus cogatur. Tantum & tam intimum animam & corpus intercedit commercium, ut neutrum facile, absque alterius

B 3

com-

Aeris vita.
compassione, lædi posse, & nūquām graviter animæ turbentur idæ, quin etiam in corpus offensa transeat; quemadmodum è diverso corporis valetudo ne quidem laborare incipit, quin statim in animam transeat malum.

THES. XIV.

Sed adhuc aliæ causæ huc conspirare solent, & quidem è rebus Non-naturalibus, ut vocantur, Aeris quo-
cunque in qualitatibus excessus ad Vertiginis productio-
nem facere posse, jamdudum docuit *Sennertus de Ver-*
tigine. Frigidam tamen & hyemalem præ cæteris mali
hujus feracem esse, ab Hippocratis temporibus jam ob-
servarunt Practici, eo quod poros cerebri nervorumque
constringat, obstipet, humoresque ipsos cogat & inspi-
set, à quibus spirisum transitus liberior necessario im-
peditur. Qvo etiam faciunt effluvia alia nimis vaporo-
sa, crassa, narcotica, aut etiam venenata, in specie mer-
curialia, quæ omnia, pro ratione suæ indolis, vel vias re-
plendo, vel spiritum ipsum variis modis turbando, sup-
primendo, intercipiendo, malo huic ansam præbent.

THES. XV.

Delicta incib & Potu.
Quid dicam de erroribus, qui in cibo & potu,
sive quoad quantitatem, sive qualitates & modos
assumendi committuntur, & malo huic fores aperi-
unt. Non quidem opus est, ut singuli hic referantur,
qui alias facile liquent, & toto die ex omni in-
temperantiae usu veniunt; Ebrietatem solum frequen-
tem præ cæteris hic accusare habemus, quippe qua non
solum

solum Ventriculi aliorumque Viscerum tonus nimis
quantum laxatur & debilitatur, sed & succus animalis im-
mediate à fuliginibus potus largioris, non satis digestis &
inceps cum sanguine mistis, turbatur, confunditur, ut
resto suo tramite influere in nervos nequeat. Ex quo
etiam factum, quod communi proverbio omnes ebriosi,
vertiginosi dicantur; Velut *Jovialis Satyra VI. loqui-*
tur:

- - - - bis vertigine tectum
Ambulat, & geminis exsurgit mensa lucernis.

THES. XVI.

Non minus quoque è præter naturalibus multa pla-
nè sunt, quæ Vertigini viam sternere possunt. In specie
à purgantibus fortioribus non minus, ac in aliis venenis,
vegetabilium imprimis, vertigines oriri observavit jam
Hippocrates lib. 2. Aphor. 37. & Forest. l. 10. observat. nihil-
que mirum, non solum enim acrimonia sua nervos la-
cessunt, & in motus spasticos agunt, sed simul omnes
humores agitant, totamque œconomiam animalem tur-
bant: Opium vero quando vertigines inducere obser-
vatur, id fieri dixerim, quod vaporosis & austoris suis
effluviis poros cerebri replet, succumque nervorum co-
gat & inspiisset, ne expandere se satis possit, in præsens
machinæ tutamen.

THES. XVII.

Huc pertinet compressio & constipatio pororum ce-
rebri & nervorum præternaturalis, à quacunque etiam
causa inducta, cuius quippe culpa Spiritus motum rectum
servare nequit, sed in viis augustis, vel plane compres-
sis, aut obstructis, necessario divertitur, ut lineas ellipticas
sequatur, & in orbes quasi agatur. Talis vertigo fuit quam
ab

ab ictu capitis obseruavit Hipp. Epid. in virginē, & Smetius in
Miscellaneis; A fractura cranii Avicenna & Aegineta; à cal-
culo cerebri Mæbius in institutionibus p. 257. A vesica aquæ
plena in Cerebro, Wepffer. de Apoplexia & Plater. observ.
l.l. A Sphacelo ejusdem in bove, Bartholinus Actor. Danic.
fol. I. annotarunt.

Differen-
tia.

Pro tanta igitur causarum aliarumque circumstan-
tiarum varietate mirum quoque non est, vertigines mul-
tis modis inter se differre, ita ut aliquibus solum caput,
aut etiam res externæ rotari videantur, sine tamen visu,
aliorumq; sensuum laſfione, quæ in specie Δινός appella-
tur; Aliis verò visus simul laedatur, & obſcuretur, quæ
σκοτόδινός, σκωτωμα; & tandem vertigo caduca vocata, quæ
ægri affecti prorsus corruere coguntur. Quibus præ-
terea accedit, quod Vertigo ſæpius variis & diversissimis
morbis complicetur: Modo continuo, modo per inter-
valla certa, aut incerta urgeat. Agitata quidem olim
controversia inter Medicos insignis fuit, utrum tales
Vertigines gradu ſolum, an vero ſpecie differant? quibus
autem jam tum Clarissimus Sennertus l.c. ſatisfecit; & res
ipsa docet, quod cauſa, licet eadem plus minus graves
reperiantur, ab iis tamen aliæ, & ſpecie diversæ func-
tiones laedantur, indeque non ſolum graduales, ſed ſpecie
differentes Vertigines generentur; quibus accedit, quod
Scorbutus, malum hypochondriacum & hystericum, ob-
ſtructiones vasorum & viscerum, debilitas ventriculi,
vermes, aliique morbi complicentur, quorum certè ra-
tione natura & cura Vertiginis immutetur, neceſſe eſt.

THES.

Theſ. XIX.

Mirum vero & notabile eſt quod vertigo etiam
periodice, & per certa intervalla interdum urgeat, cuius-
modi exempla annotarunt Fonſeca Consultat. Medic. 30.
Tom. 2. Bonett. Medicin. Septentr. part. I. cuius tamen ea-
dem procul dubio, quæ februm aliorumque morborum
periodicorum eſt ratio, quando ſcilicet viscerum certo-
rum obſtructiones conjunguntur, in quibus tantum per
intervalla, à cibis, vel aliis occaſionibus excitati & aucti
humores turgescere, & moveri incipiunt, indeque cum
Sangvine & lympha in circulum acti, tales in cerebro tur-
bas dare poſſunt.

Theſ. XX.

Quibus adeò omnibus jam ſatis cognitis, nec ſedes ra-
dicalis mali, nec cauſa ibidē, licet profundissime latitans,
latere facile poterit. Etenim continua & frequens verti-
go à leviffima cauſa extrinſeca, absque aliorum partium
pathemata inſequens, eorundem quoque laſionem,
malique nostri primarium authorem oſtendit. Sic in-
ventriculo & primis viis latens fomes cardialgiæ, tensio-
ne hypochondricorum, appetitu proſtrato, vel etiam pra-
vo, nauſea, aliisque hujus generis ſymptomatis antece-
dentibus & concomitantibus, ſe prodiſt; Ex utero verò
oriundo antecedunt menstrui fluxus pravitas, aut ſup-
preſſio totalis, item sterilitas, hystericæ paſſiones & ſimilia;
Sangvinis ipſius copia, ſeu pleniora diognoscitur à rubore
faciei, pulſu forti; Pravitas ſcorbucica, vel alia, e suis pro-
priis ſymptomatis, & ſic in cæteris.

THES. XXI.

Ab his cauſarum ſubjectorumque differentiis et-
iam diverſa prognoſis fluit, adeò, ut recentem, ſimpli-
cem

C

Dignoſis
Sediſ &
Caufa-
diciſis.

cem, & à causis tentum externis inductam omni prorsus periculo carere ; Contra verò inveteratam, frequentem aut continuam, tenebrisosam item, & caducam Epilepsiam aliusq; gravissimi mali prodromum esse, dicendum sit: Quemadmodum etiam in Juvenibus minus periculosam, quam Senibus, sympathetica minus, quam idiopathica semper observatur; si cætera quidem fuerint paria. Alia salutariter solvit, critica causarum morbificantium evacuatione & sublatione : In juvenibus saepius hemorrhagia narium larga eam solvit, ipso jam tum *Coo. nostro in Coac. Prenot. n. 341. observante. Zactg vero Lusitan. l. 7. Medic. Princip. Hist. 12.* Per abscessum materiæ purulenta ex auribus; Et Schenkius d. *Vertig.* per dentum alveolos solutam yiderunt. In aliis vero, imprimis Senibus, & languidis Convulsiones, Epilepsiam, vel Apoplexiā semper comitem certissimum haber, *Teste quoque Galeno Comment. apbor. 17. Sect. 3.*

Therapie

Sive ergò periculi magis minusve habeat Vertigo, nihiloseius tamen, quoniam terribili semper facie incedit, ægrique se moribundos veriti, præsentaneam operib; ferendam postulant, ideo quoque cura duplex, alia in paroxysmo ipso, & extra ipsum, alia à Medico adornanda est. Et quidem in paroxysmo, etiam causis omnibus nondum satis perspectis, tentare & applicare statim convenient, quicquid ad obstructiones nervorum aperiendas, Spirituumque motum ordinatum restituendum facere videtur. Id quod omnia volatilia, spirituosa, aromatica, oleosa, vel urinosa; immo acidula & mixta, nec non frictiones, & quæcunque in Epilepticis ac Apoplecticis insultibus artis leges postulant, præstare sufficiunt.

THES

In paroxysmo

Thef. XXIII.

Extra Paroxysmum verò omnia omnium causarum Signa distinctiva sciat, & in numerato habeat Medicus, & ductu eorundem curam ita dirigat, ut reddituro post liminio malo-omnes occasio præscindatur; id est, cæsæ proximiores non minus, quam remotiores removeantur, sicut omnes vitales, & animales dicti, reficiantur, & viscerum quorumcunque languentium tonus restituatur: Quæ omnia quibus remediis, sive chirurgicis, sive pharmaceuticis & Diæticis impetrari queant, nunc ex ordine breviter videbimus.

THES. XXIV.

E Chirurgicis remediis primum locum obtinet Venæ Sectio, huic quoque malo, quando forte ab intemperie sangvinis fervida, plethora, & evacuationibus ipsius, alias naturalibus, suppressis foveri, aut ad minimum augerividetur, necessario opponenda, utpote qua sangvis quidem bonus evacuatur, fervor tamen ejus & motus turbatus imminuitur, restitans vetò, aut aliorum decumbens, in motum naturalem redigitur. Quæ causa fuit, quod adhibitis frustra Cephalicis & appropriatis, unicæ saepius Venæ sectione protinus curatam. Vertiginem, observarint *Heurnius, Sennertus, Platerus, aliisque.* Arteriotomiâ tamen propterea nihil opus esse reor, quibuscunque etiam encomiis in hunc usum à Veteribus commendetur. Scarificationes verò & frictiones, adsvetis imprimis, & loco Venæ Sectionis non diffaserim: Vescicatoria quoque & Fonticuli huc præ cæteris faciunt, quando scilicet continuus serius morbos, acidi & acris preventus, nullis aliis remediis avertendus, in culpa est; Quamvis à multis Recentioribus eadem prorsus damnari non ignorem, eo quod serum sangvinis utilissimum nutritum secedere faciant: Mihi tamen sufficit, partem

Extrapa-roxyſmū

tem quādam morbos ei simul decumbere. Etiam minūm remedium in casu necessitatis non negligendum. *Horstius D. 2. Problem. 3.* commendat canteria prorsus actualia circa futuram coronalem applicanda, & *Zacutus* *libr. 1. Prax. Admirand. obf. 38.* quendam tenebricōia *Vertigine vexatum, & apoplexiæ proximum, omnibus aliis* remediis irritis, tandem cauterio, bregmati imposito, persanatum fuisse refert.

THES. XXV.

Inter Pharmaceutica verò remedia, Evacuantia, potissimum requiruntur, ubi fomes à ventriculo & primis viis suppeditatur; eaque per superiora, vel inferiora, quocunque naturæ ipsius conatus tendere observabitur. Et quidem Vomitoria in specie salutarem omnino openant, non solum, quando faburrat humorum vitiosorum, acidorum, flatuosorum, venenatorum, inventriculo ipso, sed vicinis quoque visceribus, glandulis nimirum & ductibus cholodochis, pancreaticis aliisque restitare, & ejusmodi turbas dare deprehenditur. Quorum etiam Consilium *Hippocratis, IV. Aphor. VII.* nobis relictum, respicit: Non febricitanti cibi fastidium, cordis dolor & Vertigo purgationem per superiora indicant.

THES. XXVI.

Post solennes ejusmodi evacuationes, aut interpositis pro necessitate illis, omnis deinde cura eò dirigenda relinquitur, ut Sanguini, reliquisque ab eo decidui humoribus, naturalis temperies motusque reddatur, & succus imprimis nerveus spirituofus dulcis generetur; quo quidem fine rursus ad cacockymias diversas ante omnia alterandas, accuratissime respiciendum: Ita in obstructionibus viscerum hypochondriacis, aliisque omnem fere paginam hic absolvunt aperitiva,

quæcunque, volatilia & fixa, imprimis quoq; *Ölia*, *Cintia barina*, *Testacea*; item è **co*, *♀ro* & similibus parata. Quemadmodum in Scorbuto anti-scorbutica, & sic in ceteris appropriata, primario eligenda erunt.

THES. XXVII.

Sed opus tamen & iis est, quæ proximius succi, vel spiritus animalis vigorem, motuumque pristinum & naturalem restituunt, simulque vias ejus obstructas, aut distortas, quocunque modo aperiunt; quem in finem, præ omnibus aliis rursus volatilia laudanda judicio, eaq; aromaticæ, urinosa & mixta; uti sunt *Aqua* *Θe* ejusmodi volatili, oleoso præditæ, e.g. *Chærefolii*, *Lavendulæ*, *Melissæ*, *Serpilli*, *Origani*, *Lil.* *Convall.* *Rorismarini*, *Formicarum*, *Epilept.* *Lang.* *Apoplectica*, contra *Vertig.* *A.* *Carminativa* &c. *Spiritus* *Lil.* *Convall.* per ferment. *Cerasorum*, **ci*. & aromaticus, seu *Θ.* volat. *oleof.* *Sylv.* *Spiritus C.* *C. s.* & *succinatus*, *Eboris*, *Bezoardicus Buspii*, *♀ri* volat. *Fuliginis*; Vel etiam *Өlia* volatilia ipsa *C. C.* *Eboris*, *♀ri*, *Өis* **ci*, *viperarum*. Porro *Essentiæ* & *Tincturæ* *Castorei* volat. *Succini*, *Chærefolii*, *Rorismarini*, *Ligni* *Aloes*, *Ambræ*, *Lunæ* cum *Spiritu urinoso* facta, *cephalica*, *Q.* *Essent.* *Matthioli*, *Elixir Cephal.* *Michael.* *Olea* stillat. *succini* alb, *Mastichis*, *Ruthæ*, *Anisi*, *Foeniculi*, *ane-thi*, *rostharini*, *majoranae*, *N.* *Moschat.* *Macis*, & similiaz Item Species *Diambræ*, *Diamoschi*, *Diaxyloales*, aromaticæ rosat. &c. Ex quibus omnibus pro indicantium svasu, & ægri quoque appetitu, formulæ quæcunque salutares & gratæ efformari facile queunt: Quibus adhuc, ne quicquam pro fine quantocyus imperando desit, ex Galenicorum, uti dicuntur, more, alia mixta eidem scopo inservientia, *Infusa* vel *Decocta*, *Electuaria*, aliaque de *Rad.* *Doronici*, *Pœoniæ*, *Angelicæ*, *Zingiberis*, *pyretti*, *Ireos flor.* *Semin.* *Sinap.* *Cumini*, *Coriandri*, *Cube-*bar.

bar. Cardamom. N. M. Mac. Thure, Masticha &c. addere licebit.

THES. XXVIII.

Habentur quidem, & mirifice a Practicis Veteribus, imprimis laudantur plura euporista & specifica, quorum omnium usum, uti non prorsus rejicio, & damno, ita tamen cum selectu admittendum, esse iudicio, ne Empyricorum more plus noceat, quando cum ratione prodesse nequit Medicus. Non sane omni laude frustranda est Radix Doronici, qua etiam fumambulones se à lapsu præservare creduntur, utpote quæ Æ suo volatili vaporoso & acri eandem intentionem adimplere potest, quâ modo omnia volatilia aromatica commendabantur: Recens proinde & in nimia dosi sumta cerebrū occupat, & spiritus confundit; immò canibus & lupis data, convulsiones aliaque gravissima symptomata excitate observatur: Cauto solum circa usum ejus opus est, ut quoniā variæ ejus species dantur, eligatur potius longifolia & hirsuta; qua de re consulatur. Hoffm. Clave Pharmaceut. Simon. Pauli Botanico Quadripart. & alii. Ex eodem fundamento etiam Calendula a Riverio, Buxus, ejusdemque oleum a Fonsecā, Salvia a Stockero tantopere commendata, concedi possunt.

Thes. XXIX;

Alias' vero Stercus Pavonum non solum à Vereribus, sed Recentionibus multis inter Specifica præcipua miris modis commendatur, uti videre est ap. Ettmüller Oper. p. 431. & Borell. Cent. 3. obsero. 89. Et si quid forte efficit, solo sale suo acri, in stercoribus avium potissimum eminenti, id præstare credo; quod verò proptera magis appropriatum sit, hoc est, quod talem figuram particularum habeat, ut acidum morbosum & vertiginosum præ omnibus aliis, ut dicunt, infringat, de eo valde dubito. Illi, qui occultam aliquam Idem, huic, tanquam ab animali superbo &

elato capite incedente desumpto, tribuunt, profecto ludibrio se exponunt judiciosis; æque ac illi, qui ad hue differentiam ratione Sexus observandum esse svadent, ita ut pro masculo Vertiginoso, sterlus quoque Pavonis maris, & contra fæminæ, pro ægrâ illius sexus sumatur. Non minus ineptiunt, qui Ciconiarum Essentiam, aliaque ab iis desumpta, ideo tantopere laudant, quod hæ in aere cerebellimo circumgyrato volitent; aut qui pulverem Sciuri ideo eligunt, quod animalculum illud editissima & præcipitia loca, absque vertigine, transire possit. Vana proinde quoque Cerebra quorumcunque animalium reputo, licet Bartholetus Electuarium præsentaneæ virtutis ex iis adversus Vertiginem, a se inventum, glorietur.

Thes. XXX.

Dubium hæ occasione moveri poterat, utrum etiam opia a Practicis celeberrimis omnimode ad Vertiginem commendata, tuto adhiberi possint; quandoquidem ex usu eorum, Vertiginem quoque ortam anteobseravimus: Neque ego eundem facile hic svaserim, nisi affectum ab acerbissimis doloribus, & motibus humorum nimiis, præter omnem obstructionē pororum, vel langvorem Spirituum, & metum apoplexiæ ortum esse constet

THES. XXXI.

Potius diaphoretica & sudorifera, nec non diuretica, hoc faciunt, quatenus sale suo volatili, aut fixo & mixto peccantes hic plerumque succos viscidos & acido-acres resolvunt, attenuant, discutiunt, acorem quoque eorum invertunt, alterant, eoq; ipso motum eorum naturalem restituunt, & sic pluribus indicationibus exacte satisfaciunt. Sufficiunt vero huic scopo rursus antea commendi Spiritus C.C. Eboris, fuliginis, & ci simplices & succinati, sassafrati, aromatici & oleosi, Bezoardicus Bussi. & similes. Necnon Ælia fixa plantarum, antimonium dia-phoreticum, Bezoardicum mineral. sc. Ale, &c.

THES. XXXII.

Tandem quoque externa Balsama, olea, Spiritus & epithemata è prioribus volatilibus & balsamicis desumpta non negligantur, naribus & vertici applicanda, utpote quibus proximus pori vicinarum partium aperiuntur, atque circulus humorum ibidem restituitur. De sternutatoriis autem monendum, esse judico, quod, quia graviori irritatione & concussione capitis spiritus nimium turbare, & malum augere soleant, hic minus tuta videantur: Mitius agunt, serumq; viscidum non minus subducunt Errhina & Masticatoria, præ illis adeo eligenda. Emplastra quoque vertici raso applicata multum in hoc negotio præstissime memini.

THES. XXXIII.

De Diæta non est, ut prolixus agam, cum quilibet intelligat, eandem quoq; prioribus omnibus indicationibus respondere debere. Aer nimirum frigidus, nebulosus aliisque effluviis malignis inquinatus, quanto fieri poterit opere est vitandus; quandoquidem humores magis inspissat, obstrunctionesque pororum auget. Quo etiam supposito, nescio, quo jure Practici quidam suadeant, ut ægri vertiginosi, quovis mane surgentes, Tempora & synciput aqua frigida perluant: Putare hoc ipso remedio apoplexiæ aliisq; gravioribus morbis occasionem præberi, quamvis interdum palliativè prodeesse visum fuerit. Pariter nocet vietus crassus viscidus, crudus, acidus, fermentabilis, aut vaporosus; potus nimius, nec non mattinns & vespertinus; E contrario prodest Aer purus, serenus, & nisi talis est, suffumigii corrigendus; æque ac cibi potusque boni succi & facilis coctionis. Vinum, nisi optimum sit, & defæcatum, minusq; acidum, prorsus vitandum esse malum, aut sale quodam volatile oleoso corrigendum. Deinde, neque somnus, neque vigilia, quemadmodum nec motiones corporis animique modum excedant. Quibus omnibus rite observatis maximum ægris levamen per Dei gratiam afferri posse, prorsus confido. Huic etiam S. G. J. Æ.

F I N I S.